



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CXXXV. Differentia 6. Inquisitio jure civili est remedium extraordinarium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 6.

*Inquisitio jure civili est remedium extraordinarium. Baldus in l. 2. & l. Si maritus. ff. de adult. Jure Canonico autem est ordinarium. Abb. in Rubr. de judic. Decianus l. 2.*

C. 21. n. 12.

Quia Jus civile accusatione potius, quam indagatione, seu inquisitione utitur, apud DD. communi fere sensu receptum est, accusationem in judiciis civilibus remedium ordinarium esse, extraordinarium verò inquisitionem. Eamque ob causam profanus judex non potest regulariter inquirere, nisi in certis ac determinatis casibus, teste *Glossa in l. Ex lege tul. §. Si publico. ff. ad l. Tul. de adult.* E contra judici ecclesiastico permittitur in omnibus criminibus indifferenter ex officio inquirere, quia ad bonum Ecclesie regimen, ad extirpationem vitiorum, errorumque, ad animarum denique salutem utile ac necessarium videtur, c. *Si quis episcopus l. 9. 3. & Barbof. ibid.* Nec opus est famam procedere, quando ecclesie visitandæ, aut personæ ad ministerium ecclesiasticum idoneæ eligendæ sunt: ut neque cum mandato principis delegatus inquit præhabitâ criminis patrati notitiâ per famam, aut denunciationem: qui modus hoc tempore non tantum ab ecclesiasticis, sed etiam sæcularibus judiciis observatur. Judex, ait *Tholosanus*, ex officio inquit, vel

proprio motu, vel monitus à fama & rumore: proprio motu, quia ad officium illius pertinet provinciam maleficis hominibus purgari, l. *Congruit, ff. de offi. pref. Sic Imoc. III. in c. 1. §. Sanè, de cens. in 6. officium Archiepiscopi esse tradit, visitando inquirere de ministrorum, & rerum ecclesiasticarum actis, errantibus circa officia divina, & referre puniendâ ad proprios judices ordinarios, vel eadem, si manifesta, sine, nec episcopus animadvertat, castigare. Cessat igitur questio hodie, ordinatum an extraordinarium medium sit inquisitio quandoquidem communis sensus, & usus habet, investiganda esse, & in læcē protrahenda flagitia, l. 1. §. *Quæ questionem, ff. de question. Imoc. ad c. Bona, de elect. Navarr. l. 5. Consil. 4. & in Rubr. de iud. Zerola v. Inquisitio. Azor. III. l. 13. c. 18. Lugo disp. 37. sect. 6.**

\*\*